cut piſces hamo, decipiunt: aulas occupant, nõ Academias, ubi plus adulando proficiunt, quàm vera dicendo, & mẽdicãdo ampliùs, quã medicãdo: hi verè ſunt Sirenes Orbis, mõſtra Reip. atq; civiũ lues, imò, quid n. mentiar, fundi calamitates: namque

Hi poſſunt homines alto ſuſpendere naſo.

Quid, quòd deceptas etiam ſuas, Receptas dicerem, nemini oſtendunt, prætendentes ὅτι οὐ δεῖ τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων βαλεῖν, tantaq́; ſecreta non cuilibet eſſe revelanda; ideoq́; arcana ſua intra proprios lares conficiunt; hi etiam propolarum inſtar pharmaca in pharmacopoliis emunt, & aliis pompoſis inſignita nominibꝰ, pro ſuis, precio ſatis magno, divendunt. Quod ſi quis ſe ipſis opponat, tanquã mures in pice hærentes, ad aſylum ignorantiæ, propriam experientiam, (ſcilicet) confugiunt, ignari vulgaris verſicul :

Non Medicos tantũ facit Experientia doctos:
Qui facit artifices uſus, ab arte venit.

Hoc